

Miscellanea

Praemonstratenses

in Collegio Germanico-Hungarico de Urbe degentes.

Historia Collegii Ordinis nostri in Urbe Roma adhuc scribi debet. Ex iis, quae hucusque publicata sunt, scimus Collegium Ordinis nostri in Urbe fundatum fuisse anno 1627, potissimum sub impulsu Canonorum Tongerloensium, sub regimine abbatis Adriani Stalpaerts. Abbates nonnulli Circariae Brabantiae, signanter Averbodiensis, Sancti Michaelis Antverpiensis, Grimbergensis, Bernensis, Diligemensis abbati Stalpaerts adiutorium praestiterunt ; quod adiutorium potissimum financiarium erat. Ideo Collegium illud, practice saltem, potissimum a et pro Tongerloensibus erectum erat. Alii Abbates vero, qui adiutorium validum financiarium praestiterant, et ipsi semper ex sodalibus suis ad Collegium illud, studiorum causa, mittere poterant.

Benefactor eximius Collegii, anno foundationis, fuit Joannes Honorius Van Axel de Seny. Documentum quo donum a viro isto acceptum refertur, subsignatur a Praeside Collegii, Cosma DILLEN, Tongerloensi. Subsignant similiter Corn. HANEGRAVIUS, Tongerloensis, Collegii Provisor. ; praeterea Bartholomaeus PLUCKERS, Tongerloensis, subdiaconus ; Lucas MAES, Ninoviensis, diaconus ; Adrianus WELLENS, Averbodiensis, diaconus. Isti ergo illo anno Romae, studiorum gratia, in Collegio degebant. (Documentum istud editur apud P. VISSCHERS, *Geschiedkundige Inlichting over het Norbertijnsch Collegie en de voornaemste Bibliotheken te Roomen*. Antwerpen, 1841, blz. 14 v.).

In Collegio illo plures Praemonstratenses degere potuerunt tempore studiorum suorum in Urbe. Ultimus Praeses hujus Collegii, Jo. Bapt. SNEYERS, obiit 17 Augusti 1812. Et cum Abbatiae Circariae Brabanticae clausae et destructae fuerint occasione perturbationis Gallicae, Collegium illud Romanum finem habuit.

Constat vero interdum Canonicos Praemonstratenses, illis saeculis, et in aliis Collegiis Romanis commorationem fixisse, dum in Urbe studiis incumberent. Quod in specie evenit pro sodalibus Germaniae. Et sub hoc respectu notitiae pervenerunt ex abbazia Minoris Augiae (Weissenau) et abbazia Sorethana (Schussenried). Sodales utriusque hujus abbatae plures commorati sunt in Collegio Germanico-Hungarico Urbis Romae. Notum est Collegium hoc fundatum esse sub Summo Pontificatu Julii III, anno 1552, potissimum ad hoc, ut post ruinas spirituales allatas a Protestantismo, variae dioecesis Germaniae in suo clero haberent sacerdotes bene formatos, et institutis ecclesiasticis addictissimos. Intendebatur speciatim ut Capitula ecclesiarum cathedralium e sacerdotibus in Collegio illo formatis efformari possent.

In Collegio Germanico-Hungarico Praemonstratenses, studiorum et formationis ecclesiasticae, degisse, constat ex historia hujus Collegii, edita a Card. STEINHUBER in lingua germanica (secunda ed. : 1906). In vol. II, pag. 415 s., notat Em. Auctor canonicos abbatae Minoris Augiae in Collegio illo vixisse : « Von den vier aus diesem Stift entsandten Germaniker nennen wir die drei erste, welche ihrem Stifte alle Ehre machten ». Tres isti sunt : Gallus KLESSSEL, Christophorus HARTLIN, Adamus FÖLER. Praeterea in vol. I ejusdem *Historiae Collegii*, p. 441, duo alii nominantur : Augustinus WIEDERSCHATZ et Hermanus BOSCH. Hi duo certo post tres priores Romae pervenerunt ; anno 1654 siquidem nondum erant sacerdotes.

Jo. Christophorus Härtlin, anno 1611, qua S. Theologiae Dr. in abbazia reversus, anno 1616 in Abbatem eligitur. Historia muneris sui abbatialis narratur apud Ambr. JOHN, *Historia canoniae Minoeraugiensis*, pagg. 114-121.

Gallus Klessel Romae potissimum Juri Canonico incubuit et anno 1608, Doctor SS. Canonum rediit. Jam anno 1609 Abbatem suum comitatus est ad Synodum dioecesanam Constantiensem. Anno 1627 Prior constituitur ; et cum abbate Härtlin, olim suo condiscipulo in Urbe, Capitulo Provinciali Roggenburgensi interest. Moritur anno 1655 ; postea (anno 1665) confratres edunt opus ab ipso conscriptum : *Oliva sacrarum meditationum...* (cfr. GOOVAERTS, *Ecrivains, Artistes et Savants de l'Ordre de Prémontré*, t. I, 1899, p. 449.

Tertius vero, Adamus Föler, studiis incubuit Romae, annis 1612-1617. Anno 1623 Prior in Canoniam constituitur. Cum Abbate Capitulo Provinciali Marchtallensi interfuit. Videtur jam anno 1635 obiisse.

Etiam ex abbazia Sorethana (Schussenried) plures Canonici in Collegio Germanico-Hungarico commorati sunt. Steinhuber (*l. c.*, II, 417) nomina refert duorum qui postea abbates monasterii facti sunt : Mathias BINDER (1653-1655) et Magnus KLEBER (1750-1756).

Recenter vero P. WEISSENBARGER, O. S. B., in *Theol. Quartalschrift*, CXXX, 1950, pp. 79-109 ; 197-223 ; 450-473, de eodem themate fuse egit sub titulo : *Das Prämonstratenserstift Schussenried in Württemberg und seine Beziehungen zum Collegium Germanicum in Rom am der Wende des 17./18. Jahrhunderts*. Non pauca realia et concreta in hac publicatione referuntur, quae vitam Praemonstratensium in illo Collegio Romano degentium vere illustrant. Ideo utile duxi quaedam ex illis, compendioso modo, in praesenti indicare.

Auctor Weissenberger fontes praecipuos suae inquisitionis indicat : Diaria Abbatis Tiberii Mangoldt (1683-1704) conservata in Arch. Status Stuttgart ; praeterea alia Acta eodem loco asservata sub : « Schussenried'r Klosterliteralien B. 24-29 ».

Die 10 Aprilis 1683 Tiberius Mangoldt factus est Abbas Canoniae Sorethanae. Erat tunc junior inter professos et sacerdotes monasterii sui. Primum intentum novi Abbatis erat curam agere de novis candidatis ad vitam religiosam, formationemque theologicam eorum qui sese monasterio sociarent valide promovere. Jam, anno 1683, tres postulantes vestiuntur, inter quos Georgius Ludovicus Mangoldt, frater ipsius Abbatis. Die 3 Januarii 1685, tres illi novitii professionem emittunt, post exercitia spiritualia peracta septem dierum. Novitiatu completo, jam studia philosophica suscipienda erant. Cum ista modo convenienti Sorethi peragi non possent, Abbas juvenes suos professos mittit ad abbatiam vicinam Marchtallensem. In hac domo remanent per duos ferme annos, quin umquam interim ad domum professionis suae reversi sint.

Interum Abbas, qui ipse in Universitate Dilingana olim studio religiosa peregerat, cogitabat de mittendis saltem quibusdam e suis confratribus in Collegium Germanicum Urbis, formationis causa. Jam de hac quaestione ad Rectorem Collegii Romano scripserat ; ipsi responsum erat anno 1687 locum unum concedi posse tali alumno. Quisnam e tribus suis religiosis ad haec studia Romae peragenda indicaretur, conventui decidendum reliquit. Conventus unanimis erat in designando fratre ipsius Abbatis.

Studia domestica theologica eodem tempore ab abbate Sore-

thano in propria domo instituta fuerunt. P. Innocentius Faber, qui Universitatem Dilinganam frequentaverat, constituitur studiorum rector. Septem alumni cursui theologico in Abbatia aderant, inter quos duo novitii. Ordo diurnus pro alumnis ita ordinabatur ut alumni professi interesse deberent Horae Primae simul ac Missae Matutinae vel Missae Summae; ab aliis Horis in Choro frequentandis eximebantur; immo liberi erant ab Officio Mariano et Officio Defunctorum. Ordinatio haec lata erat ad hoc ut studium theologicum promoveretur. In Die Inaugurali Studiorum ipse Abbas Mangoldt verba habuit de hoc themate: Vis mente esse sciam, cole tota mente Mariam. Discat qui nescit nam sic sapientia crescit. S. Thomas Aquinas uti Patronus Studiorum proponebatur. Et in festo S. Thomae, die 7 Martii 1687, Theologiae Lector Summum Sacrum litabat et illa die nulla lectio habebatur.

Georgius Ludovicus Mangoldt ergo indicatus erat ut anno scholastico futuro Romam adiret. Ut vero scholas theologicas, qua alumnus Collegii Germanici frequentare posset, requirebatur documentum quoddam authenticum de scientia sua philosophica. Ob hanc causam Mangoldt iste missus fuit ad Collegium Constantiense. Examine ibidem peracto de integra Philosophia, die 10 Aprilis jam reversus est in propriam domum Sorethanam, qua Philosophiae Doctor. Modo definitivo tandem a Rectore Collegii Germanici Romani Georgius Mangoldt receptus est die 29 Junii 1687. Et die 3 Octobris ejusdem anni iter transalpinum arripuit. Ex litteris postea scriptis, constat ipsum Romam advenisse die 2 Novembris.

In Collegio Germanico, sese in omnibus adaptavit Mangoldt noster. Vestem talarem rubram alumnorum induit; quod faciunt omnes alumni Collegii, religioso O. S. Ben. et Er. S. Aug. ibidem degentibus non exceptis. Breviarium Romanum cum aliis coalumnis adhibet.

De relationibus quas forte habuit cum aliis Praemonstratensibus, in Collegio Praemonstratensi commorantibus, in litteris suis non ita raris, non loquitur. Quando vero primam suam Missam celebrat in Basilica S. Mariae Majoris, ita explicite notat in litteris Abbati missis, Procurator Ordinis, J. Ign. Backx, simul ac octo alumni Collegii Ordinis praesentes erant. Ipsi, juxta desiderium antea ab Abbate, prae sua devotione erga Deiparam, expressam, feliciter concessum fuit ut hanc primam suam Missam diceret ad altare B. Mariae Virginis in Basilica modo indicata.

Durante ultimo anno in Collegio transacto, Mangoldt noster erat

Caeremoniarum Magister Collegii. Bona valetudo theologi nostri interim non parum diminuta erat. Morbus contagiosus deinde quassabat regnum Neapolitanum. Ideo Georgius, Abbate suo consentiente, melius iudicavit absque mora civitatem Romanam relinquere et ad partes magis septentrionales Italiae transire. Civitatem Perusinam (Perugia) adiit, studiis peractis. Ibidemque lauream S. Theologiae obtinuit die 30 Aprilis 1691. Tandem, post absentiam quattuor fere annorum, domi redux erat die 26 Junii 1691.

Curriculum vitae Doctoris nostri similiter constat. Jam die 11 Julii 1691, Confessarius conventus ab Abbate nominatur. Die vero 6 Augusti insequente, fit Lector Philosophiae. Et in fine hujus primi anni, durante quo docuerat, magnam disputationem publicam promovit, ad quam auditores conspicui extranei invitabantur. Die 24 Maii 1692, per Breve Pontificium, ad dignitatem Protonotarii Apostolici evehitur; ita fit, jure, consiliarius Abbatis in omnibus negotiis spiritualibus domus. Cumque, juxta desiderium antea explicitè expressum Abbatis, Romae formationem asceticam et spirituales Patrum Societatis Jesu pro posse sibi assimilavit, ideoque plus quam semel exercitia spiritualia specificè ignatiana peregerat, Abbas anno 1693, fr. Georgium designavit uti « Directorem Exercitiorum » pro omnibus confratribus conventus. Per annos deinde, tradit Philosophiam et Theologiam. Anno 1698 constituitur « Prior ad interim ». Paulo post, anno 1700, ab omnibus officiis suis in Conventu privatur, et ad paraeciam de Attenweiler secedit. Abbas vero Tiberius anno 1710 muneri suo resignat. In Abbatem eligitur Innoc. Faber, sub quo Georgius Mangoldt officium Prioris assumpsit.

* * *

Georgius Mangoldt ergo Romam missus fuerat studiorum causa. Etiam de aliis sodalibus Abbatiae ad Universitates mittendis cogitabat. Abbas Tiberius. Voluerat confratres mittere ad Collegium Ordinis Pragense (Cfr. WISSENBERGER, O. S. B., *Kulturelle Beziehungen zwischen dem Praemonstratenserstift Schussenried und Prag im 17/18 Jahrhundert* : An. Praem. XV, 1939, 181-197). Intentum illud in praxim deducere ipsi concessum fuit. Fredericus Jeggle (qui, postea, die 13 Novembris 1698 Prior Sorethanus constituetur) et Isfridus Miller mense Septembris 1692 in civitatem Pragensem profecti sunt.

* * *

Studiis fr. Georgii Mangoldt in Urbe absolutis, non statim alius canonicus Sorethanus locum ejus in Collegio Germanico assumere potuit. Anno vero 1698 secundus Praemonstratensis viam illam iniit : Evermodus LORINSER. Per tres annos Romae remanet. Die 11 Julii 1700 theses publicas defendit in Collegio Germanico, assistente Em. Card. Marischotti, objiciente, praeter alios, confratre Tongerloensi, ex Collegio Praemonstratensi. Anno 1701 ad finem vergente, in abbatiam redit cum laurea doctorali in Sacra Theologia et in Jure Canonico.

Proficiscitur deinde Vincentius RODENBACH. Iste die 22 Octobris 1704 rediit cum laurea doctorali in Sacra Theologia. Succedit et quartus canonicus Sorethanus : Magnus KLAIBER. Revertitur iste, qua Doctor S. Theologiae, die 29 Octobris 1708.

Anno sequenti, 1709, R. P. Rector Collegii Germanici Abbati Mangoldt communicavit iterum mitti posse unum e sodalibus in Collegium, studiorum causa. Abbas respondit dispositiones jam executioni mandatas relate ad annum proxime sequentem pro vita Abbatiae tale quid non permittere. Anno 1711 sodalis Sorethanus Romam mitteretur. Interim vero Mangoldt non amplius Abbatiam suam regebat et Successor ejus non amplius alumnos e suis junioribus ad Collegium Germanicum Urbis misit.

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

Die ehemalige Abtei Klosterbruck.

An der Strecke von Znaim nach Wien, im lieblichen Tal der Thaya, liegt die alte, weitbekannte, ehemalige Prämonstratenserabtei Klosterbruck (Canonia Lucensis).

Schon im 11. Jahrhundert stand dort eine Kapelle zu Ehren des hl. Wenzel, die später zu einer Kirche erweitert wurde. Der Markgraf Otto von Mähren liess dort ein Kloster erbauen, dotierte es reichlich und übergab es 1190 den Prämonstratensern, die aus Strahov berufen wurden. Das Stift entwickelte sich sehr rasch. Nach kurzer Zeit besass es 36 Dörfer, 10 Pfarreien und Grundbesitz. Klosterbruck gab dem 1344 gegründeten Bistum Leitomischl den ersten Bischof Johannes ¹⁾. Die Aebte erhielten 1386 das Recht der

¹⁾ Leitomischl war eine Prämonstratenserabtei, das Kloster ein reguliertes